120

DISSERTATIO IVRIDICA

DE

ADHAESIONE

MINVS PRINCIPALI PER ALTERIVS LEVTERATIONIS VEL APPELLATIONIS RENVNCIATIONEM NON EXSPIRANTE

QVAM

PRAESIDE

GOTTLIEB STVRMIO

PHIL. ET J. V. D

VITEMBERGAE IN AVDITORIO JCTORVM

HORIS CONSVETIS

D. X. APRIL. cIↄIↄCCXXXIV.

DEFENDET

SALOMON RVDOLPH HAVSCHILD

ALTENBVRGENSIS.

VITEMBERGAE

IN OFFICINA SCHLOMACHIANA.

(3)

Digitized by Google

Digitized by Google

DISSERTATIONIS DE ADHAESIONE MINVS PRINCIPALI PER ALTERIVS LEVTERATIONIS VEL APPELLATIONIS RENVNCIATIONEM NON EXSPIRANTE

CAP. I.

DE REMEDIIS CONTRA SENTENTIAM IN CAMERA VSITATIS

§. I.

LIcet Camera Imperii & aulicum judicium ſuprema in Imperio noſtro ſint tribunalia, nihiloſecius tamen ſententiæ in illis latæ per omnia non ſunt incorrigibilia, ſed ut oppreſſis ſubveniatur, varia media ſunt conceſſa, quæ ſententias emendant. In Camera inprimis tria ejusmo-

di contra ſententiam præſidia noſcuntur, *reſtitutio* ſcil. *in integrum*, *reviſio* & *Syndicatus* judicium, de quibus omnibus pauca ſaltim præmonebimus, ut quodammodo ſatisfaciamus Mandat. Reg. de ao. 1733. d. 13. Oct.

§. II.

Reſtitutio in integrum *eſt medium, quod ſententiam in Camera latam impugnat ob* PARTIS ERROREM. Hoc remedium inſtituitur coram eodem judice, qui ſententiam tulit. Hinc impetratur etiam mediante imploratione officii judicis cameralis. Conceditur hocce remedium intra quadriennium continuum a ſententia definitiva Camerali *arg. L. f. C. de temp. in integr. reſt.*. Contra lapſum vero fatalium intra tantum temporis ſpatium, quantum fatale ipſum comprehendit, v. g. ſi reſtitutionem peto adverſus lapſum fatalium introducendæ appellationis in Camera, tantum intra quadrimeſtre ſpatium reſtitui potero, non vero intra integrum quadriennium vid. *Rec. Imper. dep. de a. 1600.* §. als auch die reſtitutiones. Qui impetrare vult hanc reſtitutionem allegare tenetur certas & legitimas cauſas antea in actis non deductas *O. C. P. 3. tit. 52. in fin.* hodie tamen articuli non ſunt neceſſarii, ſed per ſimplicem enarrationem fieri poteſt *R. J. de an. 1654. §. 34. in med.* His rite obſervatis ſententia lata retractatur & jus per ſententi m ablatum reſtituitur add. *Schwederi J. P. part. ſpec. ſect. 1 c. 13. §. 15. Mulz. in repræſ. Maj. Imp. P. 2. c. 26. m. 4. n. 9. ſeqq.*

§. III.

§. III.

Ne autem frivole hocce remedium adprehendatur certum modum conſtituerunt leges Imperii; ſcil. qui hoc uti vult remedio de ſorte litiget ad minimum C. imperialium, de annuis reditibus vero ad minimum VI. florenorum *R. J. de ao. 1570. §.* Ebenermaſſen j. §. als wie denn & §. was aber. Sunt equidem haud pauci, qui credunt, quod, quia hodie per *R. J. de ao. 1654. §. 112.* ſumma adpellabilis ad CCCC. Imperiales excreverit, etiam hæcce ſumma ratione reſtitutionis ſit tacite aucta; ſed quia hanc opinionem nullus textus probat, adpellatio & reſtitutio diverſiſſima ſunt media, nec in *Rec. cit. de ao. 1570.* forma adpellationis pro norma ſit reſtitutionis, in LL. fundatam opinionem magis adprobatam video.

§. IV.

Hæc reſtitutio in integrum fit l. judicialiter l. extrajudicialiter, utraque l. *brevi manu* vel *prævia citatione* ad videndum reſtitui. Prior eſt, ſi judex ſine citatione & parte altera non audita ob urgens aliquod gravamen reſtituit, ſi hoc extrajudicialiter fit, unicus in legibus determinatus eſt caſus, ſcil. contra lapſum fatalium inſinuandorum proceſſuum *per l. 5. C. de appellat.* Judicialiter vero brevi manu adverſus ſententias interlocutorias & quando procurator ad acta eſt conſtitutus *vid. Rec. Imp. de ac. 1690. §. 151.* Poſterior reſtitutio, ſcil. prævia citatione, in reliquis caſibus cum

Digitized by Google

cauſæ cognitione ſuſcipitur *vid. Eiſenbart. in proc. inſtant. reſtitut. c. 5. §. 3. ſeq. Textor diſp. academ. diſp. 17. Rhetius in J. P. l. 4. tit. 21. §. 17. & 18.*

§. V,

In Saxonia licet reſtitutio tanquam remedium, contra ſententias, ordinarium non obtinet. *Ord. Pr. tit. 37.* tamen brevis manus reſtitutio nota eſt *ex deciſ. El. 4.* ubi uxor terminum probatorium, ratione illatorum negligens, brevi manu in integrum reſtituitur.

§. VI.

Reviſio eſt *remedium, quod ſententiam in Camera latam impugnat propter* REFERENTIS CVLPAM. Reviſio dividitur in ordinariam & extraordinariam. Illa eſt, quæ contra ſententiam noviter latam interponitur. Hæc vero introducta eſt, quia numerus ſententiarum reviſionem deſiderantium nimium excreverat, ut etiam ſententiæ olim latæ revideantur.

§. VII.

Deſiderat hæc reviſio ſummam bis mille Imperialium in ſorte abſque uſuris *a*) ne frivole urgeatur, nec

a) Quæritur etiam de ſumma appellabili an in ejus conſtitutione reſpiciatur ad id quod actor petiit, an vero ad hoc in quod judex per ſententiam condemnavit, hoc eſt, an reſpiciatur ad ſummam libelli, an ad ſummam gravaminis, pro ut per majora in

Digitized by Google

nec admittitur iis in cauſis 1) quæ per viam ſimplicis querelæ ad Cameram devolutæ ſunt, per Appellationem autem a Judice inferiore eo deferri non poterant, id quod contingit, ſi querela nullitatis aut protractæ vel denegatæ juſtitiæ inſtituitur per *Rec. Imp. de Anno 1654. §. 127.* In genere 2) ceſſat reviſio in omnibus iis cauſis, in quibus ceſſat Appellatio, per *dict. Rec. Imp. §. 125.* ita v. g. ſuper poſſeſſorio ſummariisſimo nulla procedit reviſio *l. un. C. 1. de mom. poſſ.*

§. VIII.

Qui reviſionem deſiderat, denunciet id tempeſtive Moguntino, & ſi hic ipſe in lite eſt Treuirenſi Electori, per literas, quas vocant ein Denunciations-Schreiben. Obſervant hoc loco Dd. quod reviſioni deferendum ſit, nec Moguntini eſſe, dijudicare juſtane reviſionis cauſa ſit nec ne. *Rhetius in Jur. Publ. l. 4. tit. 21. §. 14.* In notoria tamen injuſtitia hanc facultatem concedunt Cameræ. *Textor in diſſ. 13. ad R. I. de Anno 654. §. 41. ſeq.* Hæc denunciatio ſub poena deſertionis fieri debet intra quatuor menſes a tempore latæ ſententiæ. Curet etiam reviſionem urgens & hanc denunciationem interponens, ut ſchedulam ex Cancellaria Moguntina, vel in caſu ſupra h. §pho notato, ex Trevirenſi, in teſtimonium reviſionis petitæ acceptam, Cameræ Imperiali inſinuet intra dictum tempus ſub eadem deſertionis pœna *vid. dict. R. I. §. 125.* §. IX.

Camera concluſum. Poſterius affirmat *Ludovici inſt. l. 49 tit. I. §. 8.* Sed prius verius videtur *ob L. 19. §. 1. ff. de jurisdict.*

§. IX.

Intra idem fatale deducenda ſunt gravamina ſummariter & diſtinctæ, & ſi impeditur, impedimentaque demonſtrat adhuc novum terminum impetrat, Juramenta quoque, & a partibus & ab Advocatis in perſona ſunt præſtanda, aut per procuratores, reviſoria. His non rite obſervatis, pro deſerta habetur reviſio.

§. X.

Vt præſcindatur omnis via temere reviſiones urgendi in *d. R. I.* §. *126.* diſpoſitum, quod reviſoribus præſentibus ſportulæ reviſionis ex judicis arbitrio injunctæ, ſint deponendæ, quas amittit, ſi ſententia vel confirmatur vel reviſioni renunciatum ſit, transactio tamen permiſſa eſt antequam revera reviſio eſt ſuſcepta, & ſi temeritas magna adpareat, partes & advocati præterea puniuntur.

§. XI.

His omnibus rite & legaliter a partibus obſervatis, Moguntinus intra tres menſes Imperatori ac ſtatibus imperii ad viſitationem annuam deputatis ſignificat, ut compareant per ea, quæ habet *O. C. p. 3. tit. 53.* §. *4.* Hoc unicum obſervandum eſt, quod hodie principes in perſona præſentes eſſe non teneantur, ſed unum ex primariis miniſtris ſubſtituere poſſint. *R. I. de anno 1654.* §. *128.* ubi & in ſequenti §pho exponitur, quid juris, ſi unus vel alter reviſorum emaneat.

§. XIII.

§. XII.

Si omnes præſentes ſunt, reviſionis juramentum præſtant, adſeſſores, qui ſententiam conceperunt, certiores faciunt reviſores, quæ rationes moverint ad concipiendam talem ſententiam, his deinde remotis reviſio inſtituitur, ac ad deductionem unicuique parti ſaltim unum ſcriptum indulgetur, in quo tamen nil novi proponendum, quia in toto hoc proceſſu reviſorio nil novi eſt deducendum. *vid. O. C. c. l.*

§. XIII.

Effectus reviſionis hodie non amplius eſt ſuſpenſivus ac olim *P. O. art. V. §. 55.* Sed executio, non obſtante hac reviſione, peragitur *R. I. de ann. 1654. §. 124.* Retinuit tamen effectum ſuſpenſivum in præteritis cauſis, ubi reviſio jam fuit inſtituta *d. R. I.* nec non in cauſis ſpiritualibus & religionis *c. l.* occaſionem hujus ſanctionis pluribus exponit *Pfanner in Hiſt. Comit. L. 6. §. 20. & 21.* Intelliguntur autem hoc loco cauſæ religionis, quæ inter diverſæ religionis addictos ſtatus ventilantur, alias cauſæ religionis ad Cameram non pertinent per *P. O. art. V. §. 48.* ne monſtri quid alat noſtrum adſertum. Uberius rem diſcutit *Textor c. l. §. 50.*

§. XIV.

Quia effectus ſuſpenſivus regulariter ſublatus eſt in reviſione, hinc eſt, ut executionem petens ante omnia idonee caveat, de reſtituendo in caſum ſuccumbentiæ, eo, quod ſecundum tenorem prioris ſententiæ

 vi-

victus, nunc victor, exſolverat per *cit. R. I. §. 124.*

§. XV.

Dicitur in allegato loco, quod remedium reviſionis habeat effectum devolutivum, quo igitur ſenſu hoc procedat inquirendum eſt. Scil. non ipſi adſeſſores Cameræ revident acta, ſed reviſio iſta ſuſcipitur in congregatione viſitatorum. Hinc recte nonnulli exiſtimant, quod extrema provocatio non penes Cameram ſed penes reviſores ſit, & reviſionem in Camera ſe habere inſtar adpellationis *Mulz. in repræſ. Maj. Imp. p. 2. c. 26. memb. 4. §. 1. n. 8. 9.*

§. XVI.

Quid obſervandum ſit circa extraordinarias viſitationes æque ac reviſiones exponit *R. I. cit. §. 130. ſeq.* Notum etiam eſt, quoties reviſiones iſtæ in uſum ſint deductæ & quamdiu quieverint, hinc uberius ea h. l. deducere lubentes ſuperſedimus, inprimis ne extra cancellas nobis propoſitas exſpatiari videamur.

§. XVII.

Per leges Imperii præter reviſionem Cameralem, introducta etiam eſt reviſio particularis, quæ injuncta eſt, ſi deficit vel ſumma adpellabilis vel adeſt privilegium de non adpellando, vi cujus ſtatus tenentur acta revidere, ne eorum ſubditi, ob antea dicta privilegia, in

Digitized by Google

injurioſe opprimantur, per ſententias iniquas *vid. l. R. d. ann. 1654. §. 113.*

§. XVIII.

Quia tamen dictus R. I. cujuslibet provinciæ remedia alia, quæ vice huius reviſionis ſunt, non tollit, ſed potius adprobat. Hinc in Saxonia hæc reviſio particularis exulat uti videre eſt *O. P. V. tit. 37.* ubi & rationes aliæ quam plurimæ adducuntur.

§. XX.

Syndicatus *remedium, quod contra ſententiam in Camera latam proponitur VEL REFERENTIS DOLVM, VEL PROCVRATORIS PRÆVARICATIONEM redarguit* ſeu eſt judicium quo litigatores ipſosmet judices de dolo, quod muneribus corrupti, aut pretio vel prece conducti favoreque aut odio adducti, male judicaverint, accuſant *O. C. P. 3. tit. 53.* §. Wo aber einige Partheyen &c. *R. I. de ann. 1654.* §. *109. l. fin. C. de poenis jud. qui male judicar.*

§. XXI.

Formalia eadem in hoc judicio obſervantur, quæ in antea dicto reviſionis proceſſu occurrunt, adeo, ut etiam coram commiſſariis Imperatoris & ſtatuum inſtituatur. Putat equidem *Textor* ſæpius *c. l.* Quod intra bienium ſit finiendum, ipſe tamen addit, quod vix praxis hos limites obſervet.

§. XXII.

Apud Saxones hoc crimen per modum inquiſiti-

onis eſt vindicandum, ita tamen, ut præter ſatisfactionem publicam, reus, ſi in ære habet, etiam præſtet ſatisfactionem privatam. Proniores ſunt Saxones in expiandis delictis ad proceſſum inquiſitorium, quam ad antiquas litium ambages. Ceterum in *diſſert. de reo in proceſſ. inquiſ. non convict. in expenſ. non condemn. ibique in not.* ſatis ſuperque demonſtratum eſt, quam male confundat *Carpz.* in Criminal. injuriarum actionem contra judicem cum hoc ſyndicatus crimine.

CAP. II.

DE REMEDIIS CONTRA SENTENTIAM IN AVLICO JVDICO IMPERII VSITATIS.

§. XXIII.

Diſceptatur a Juris publici Doctoribus, quænam remedia contra ſententiam in judicio Imperii aulico latam floreant; nos facile hanc diſputationem elidi poſſe perſuaſi ſumus, ſi modo non hujus vel illius Dd. opiniones ſectemur, ſed legibus credamus fundamentalibus. In hiſce autem fundatum remedium invenimus ſupplicationis per *P. O. art. 5. §. 55.* Obſtare equidem videtur *Capitul. Leopold. art. 42. & Joſephin. art. 41.* in quibus omnibus non ſupplicatio ſed reviſio vocatur. Hic tamen ſcrupulus facile eximitur, quia 1) ipſi loci jam citati ſe referunt ad dictam *P. O.* in qua expreſſe cautum ut loco reviſionis Cameralis in hoc judicio obtineat ſupplicatio 2) quia *Capitul. Carol. art 16.* reviſionem atque ſupplicationem in judicio Aulico imperii

perii pro ſynonimis habet, ideoque ſatis opinionem noſtram firmat, quod in hoc judicio reviſio a ſupplicatione diſtincta non exiſtat 3) expreſſe etiam hoc profiteatur *cit. capitul. Carol. art. 17.* Hinc nulli dubitamus, quin ſupplicatio loco reviſionis obtineat in hoc judicio Auguſtisſimo & a reviſione Camerali longe diſtinctiſſima ſit. Ad loca nobis adverſa paucis reſpondebimus verbis. *Cel. Rhetii Jur. Publ. Lib. 4. tit. 4. §. 9.* *Et quamvis*, inquit, *in Capitul. Caeſ. Leopold. §. 42. remedii reviſionis ſaltim fiat mentio, magis tamen ibi ad effectum quam modum reſpicitur, qui in §pho 55. art. 5. P. O. præſcribitur.* Rectisſime. Quis enim credet, eodem modo fieri hanc, ut ita cum Capitul. loquar, reviſionem, ac in Camera, cum hæc a ſtatibus dependeat imperii, illud vero judicium, unice uniceque Imperatorem agnoſcat, adeo, ut per eius mortem exſpiret. a)

a) Solent tamen vicarii Imperii implorati judicium erigere in Aulis ſuis & cauſas ab Aula imperiali ad ſe avocare & judicium vicariatus conſtituere, quorum judiciorum Acta finito interregno ad electi Imperatoris Aulam transmittunt. Hoc unicum animadvertere juvabit, quod ſcil. perperam credatur a Ferdinando I. hoc illuſtre judicium primum eſſe inſtitutum, cum ſaltim novam formam acceperit *add. de Lynk. de gravam. extrajud. c. 5. ſect. 1. §. 8. ſeq.* nam neque Maximilianus I. neque Carolus V. poteſtatem in Aulis ſuis jus dicendi rejecerunt *R. I. de ao. 1512.* §. zum Dritten.

§. XXIV.

§. XXIV.

Eſt autem ſupplicatio definitore *Mulzio in repraſ. Maj. Imper. P. 3. c. 13. §. 1. n. 11.* remedium, quo ii, qui ſe gravatos reputant, Imperatorem demiſſe petunt, ut acta judicialia adhibitis aliis, neutri partium addictis, conſiliariis, qui in concipienda & ferenda ſententia, nec referentis, nec correferentis partes ſuſtinuerunt, referenda committantur.

§. XXV.

Forma procedendi præſcripta eſt in *cit. inſtr. Pat. Oſn. art. 5. §. 55.* cujus tenor ſequens eſt: *quoad proceſſum Judiciarium Ordinatio Cameræ Imperialis etiam in judicio aulico ſervabitur per omnia, tum ut ne partes ibidem litigantes omni remedio ſuſpenſivo deſtituantur, loco reviſionis in Camera uſitatæ licitum eſto, parti gravatæ a ſententia in judicio Aulico lata, ad Cæſaream Majeſtatem ſupplicare, ut acta judicialia denuo adhibitis, aliis gravitati negotii paribus, neutrique partium addictis ex utraque religione æquali numero Conſiliariis, & qui concipiendæ & ferendæ priori ſententia non interfuerint, aut certe referentium & Correferentium partes non ſuſtinuerint, revideantur, liberumque ſit ſuæ Majeſtati in cauſis majoribus & unde tumultus in imperio timeri poſſent, inſuper etiam quorundam utriusque Religionis Electorum & Principum ſententias & vota requirere.*

§. XXVI.

Quæritur, quantum temporis ſpatium relictum ſit ad interponendam hanc ſupplicationem. Alii de-

decendium appellationis agnoscunt, alii biennium juris Romani, alii tringinta annos querelæ nullitatis, alii, ut *Textor in diſſ. 13. §. 59. ad R. J. de ao. 1654.* plane nullum fatale certum agnoſcunt, alii denique quadrimeſtre ſpatium, quod reviſionibus Cameræ conceſſum eſt, laudant. Hæc diſceptatio vana non eſt, quia ipſi aſſeſſores judicii aulici de hac re dubitarunt. Vti videre eſt apud *autorem not. perpet. ad ord. judic. Imper. aul. tit. 5. §. 7. not. 5.* Sed hodie res plana eſt & extra omnem dubitationem, quod quadrimeſtre ſpatium reviſionis Cameræ etiam in ſupplicatione obſervandum ſit, 1) quia judicium aulicum ſervare tenetur per omnia Ordinationem Cameralem Imperii *P. O. art. 5. §. 55.* 2) ſi de formalibus diſceptatum eſt ſupplicationis, ſemper majora hujus judicii aſſeſſorum vota, formalia reviſionis adprobarunt, quatenus ſcilicet ad aulicum adplicari poſſunt judicium *vid. Auctor not. perpet. cit. loc.*

§. XXVII.

Currit hoc fatale quatuor menſium non a tempore publicatæ, ſed pronunciatæ ſententiæ *per R. J. de ao. 1654. §. 125.* Sufficit etiam ut hoc remedium interponatur paucos dies ante lapſum hujus quadrimeſtris ſpatii vid. *Dominus de Ludolf. in jure Cam. pag. 335.* Nam judex ſaltim de formalibus intra hoc tempus dijudicat; non vero de meritis cauſæ, hinc & ultimo die hoc facere poteſt. Sed, inquis, in omnibus ſententiis ab Imperii judicio Aulico latis, inferitur clauſula de paritione intra duos menſes præſtanda, quid juris, ſi

pa-

pars victrix duobus menſibus elapſis, reſcriptum, ut, ajunt, paritorium vel commiſſionem executionis imperret, an adhuc uti poſſet hoc remedio ſupplicationi pars victa? omnino, nam quadrimeſtre ſpatium a lege eſt, a judice igitur, infringi nequit, modo ſupplicatio interponatur contra ſententiam principalem, non vero, uti loqui aſſolent, inhæſivam, & ita ſervari in hoc ſupremo judicio, teſtatur *Moſer in* Reichs-Hofraths *concluſis tom. 3. p. 599. ſeq.*

§. XXVIII.

Quando intra hoc quadrimeſtre ſpatium libellus reviſorius non poteſt confici, prorogatio termini ad gravamina elaboranda atque proponenda per libellum indulgetur, per ſæpius *cit. Rec. J. de ao. 1654. §. 125.* modo adſint 1) juſtæ cauſæ 2) probari poſſint & 3) intra quadrimeſtre ſpatium reliqua formalia obſerventur, in his enim prorogatio ceſſat *vid. Uffenbach.* Reichs-Hofrath *Proc. c. 23. ſect. 4.* Obſervandum etiam eſt, quod in arbitrio partis ſit, an libellum reviſorium tradere, & gravamina deducere, an vero ad acta prioris inſtantiæ ſimpliciter ſubmittere velit, *Ord. Cam. part. 3. tit. 53. §. 3. R. J. de ao. 1654. §. 125.* Sedulo igitur diſtinguendus eſt libellus reviſorius a ſupplicatione pro impetranda reviſione. Hoc erroneum eſt, quod plura remedia in uno libello cumulari poſſint, id quod ex eorum indole, antea demonſtrata, apparet, licet diſſentiant magni nominis JCti.

§. XXIX,

§. XXIX.

Alterum formale, quod in ſupplicatione obſervandum, eſt juramentum reviſorium *R. J. 1654.* §. *125.* quod partes ipſæ, licet ſint principes, vel earum procuratores jurant *Ludolf. de jur. Cam. pag. 327.* ad hoc juramentum etiam præſtandum adſtricti ſunt Advocati. Oblatio & præſtatio juramenti, intra quadrimeſtre ſpatium fieri debet, per *cit. R. I.* quod tamen in judicio aulico adeo ſtricte non obſervatur, ſed ſufficit ſi intra quatuor menſes mandatum ſpeciale ad jusjurandum præſtandum actis inſinuetur, ipſa vero juramenti præſtatio differtur donec reviſio eſt decreta & ſportulæ depoſitæ, vid. *Aut. ſæpius cit.*

§. XX.

His omnibus rite obſervatis deponitur certa ſumma pecuniæ ſportularum nomine *arg. dict. R. I.* §. *126.* verbis: damit denn auch die Partheyen/ *add. Ludolf. de jur. Cam. p. 327.* Pignora & fidejuſſores non admittuntur ob citatos textus. Quæ omnia alii aliter ſtatuunt, vel quia naturam proceſſus hujus vel praxin quotidianam ignorant.

§. XXXI.

Diſputatio valde ambigua eſt de quæſtione, an hocce ſupplicationis remedium habeat effectum devolutivum tantum, an etiam ſuſpenſivum. Scrupulum movit *P. O. art. 5.* §. *55.* juncto *R. I. de ann. 1654.* §. *124.* ubi in reviſione effectus ſuſpenſivus ſublatus eſt, ergo & hanc derogationem per argumentum ad ſupplicationem

C tra-

Digitized by Google

trahunt. Quæ dubitatio tanta fuit, ut ipſi aſſeſſores judicii aulici de hac re, occaſione ſucceſſionis Oltenburgenſis, inter ſe diſceptaverint *vid. Aut. not. perpet. ad Ord. jud. imper. aul. tit. 5. §. 7. not. 1.* Sed ſi theoriam ſpectamus procul dubio eorum opinio verior eſt, quæ effectum ſuſpenſivum ſupplicationi attribuit 1) quia ratio, quæ movit ſtatus, ut ſuſpenſivus effectus ceſſet in reviſione, non quadrat ad ſupplicationem, nam hæc citius, quam illa expeditur, illa dependet a ſtatibus, hæc unice a Cæſare, per illam lites fiunt immortales ob diu intermiſſam viſitationem, ſecus ac in hac 2) *Ord. Proc. judic. aul.* effectum ſuſpenſivum adhuc laudat, nec obſcure hic colligi poteſt ex Capitul. *Car. VIti art. 17.* §. Wie wohln aber ꝛc. Licet enim ab initio hujus §phi reviſio & ſupplicatio conjunguntur, tamen, ubi ſermo eſt de effectus ſuſpenſivi derogatione, ſedulo reviſio a ſupplicatione diſtinguitur & ratione hujus adſtruitur, quod in hac proceſſus judiciarius *inſtrum. Pac. art. 5. §. quoad proceſſum, & ordinationis Judic. Imp. aul.* obſervandus ſit ſeq. ſondern auch zu deſto mehrerer Abkürtzung ſolcher reviſionen Unſers Kayſerlichen Cammer-Gerichts, die dißfals in den Reichs-Abſchieb de ann. 1654. beliebte, und noch ferner beliebende Ordnung genau in acht nehmen, und denſelben keinen effectum ſuſpenſivum zugeſtehen, noch geſtatten, „mit der im „Reichs-Hofrath an ſtatt der Reviſion gebräuchiger ſupplicati„on, auch nach Inhalt des Inſtrumenti pacis *art. 5. §. quoad pro„ceſſum judiciarium* und nach der Reichs-Hofraths-Ordnung al„lerdings verfahren, und darob ſeyn, daß derſelben ein Genügen „geleiſtet, und darwieder keines weges gehandelt werden möge. 3) imo ſtatus Imperii *cum cit. R. I. de ann. 1654.* conderetur ſatis ſuperque ſibi proſpexerunt de effectu ſuſpenſi-

vo

vo in ſupplicatione retinendo per concluſum Imperii (Reichs-Gutachten) den 19. April. 1654. a) His etiam Clementiſſime annuit Imperator per decretum Imperatorium den 21. *Apr. ej. anni* b) in quo decreto hujus remedii effectus ſuſpenſivus in dubium plane non vocatur.

§. XXXII. Quanquam igitur hæc in Theoria ſunt veriſſima longe tamen alia eſt praxis hujus illuſtris iudicii, ſicuti ex hodiernis concluſis demonſtrari poteſt, quæ exhibet *Moſer. tom. III. pag. 702. tom. V. pag. 238. concluſ. Imp. Aul.*, ut & *Uffenbach* de ſuo tempore idem teſta-

a) Tenorem hujus concluſi Imperii exhibet *Londorp Act. Publ. Tom. VII. l. 6. c. 569.* ſeq. Benebens iſt ſolche Caſſatio effectus ſuſpenſivi reviſionis auf die künfftige und nit auf diejenige, welche ſchon vor dieſen in Camera geſucht und erkannt worden, zu verſtehen: Wie denn auch 2. diejenigen Fälle und Sachen hiervon ausgenommen werden, worinne wieder des Reichs-Hof-Raths ergangene Urthel das beneficium, ſupplicationis juxta diſpoſitionem *Inſtrum. pac. art. 5. §. 20. verſ.* quoad proceſſum judic. geſucht würde.

b) Decreti hujus tenorem laudatus autor *cit. loc. c. 580.* ſeq. exhibet. Was daneben ſonſten die Stähde von denen Sachen welche bey den Reichs-Hof-Rath ſchweben, daß in ſelbigem das beneficium ſupplicationis den effectum ſuſpenſivum, krafft des Frieden-Schluſſes haben ſolle hiebey angehenckt, daß finden J. K. M. unnöthig, alldieweil daſſelbe allbereit in der neuen publicirten Reichs-Hof-Raths-Ordnung genugſam vorgeſehen, auch J. K. M. bey ihro Gegenwarth dergleichen Sachen iederzeit ohne groſſen Verzug erörtern können.

ſtatur vom Reichs-Hof-Rath *c. 23. ſect. 4.* Executio ſequentem in modum fit, 1) implorat pars victrix de executione facienda judicem. 2) offert ſe in ſcriptis ad cautionem, 3) hæc oblatio communicatur cum parte adverſa, 4) quæ, ſi intra tempus praeſcriptum non declarat, an cautionem oblatam pro ſufficiente habeat necne, in contumaciam ejus pro ſufficiente habetur, ſin autem excipit, arbitratur judex, qui, ſi dubius eſt, certiorem ſe reddit, ratione bonorum partis victricis, per principem circuli, per Magiſtratum, aut per commiſſionem vid. *Rec. Imp. de ann. 1654. § 124.*

§. XXXIII. Sunt tamen caſus, ubi executio ſuspenditur 1) in cauſis eccleſiaſticis, 2) in iis cauſis, ubi reviſio jam ante dictum R. I. erat urſa, quæ tamen obſervatio in Aulico judicio Imperii nullius erit uſus, quia lites in hoc judicio procul dubio ſunt deciſæ, quæ tunc temporis ventilabantur *vid. cit. R. I. cit. loc.* 3) ex Dd. opinione in cauſis, ubi adverſæ parti irreparabile damnum infertur per executionem, caſum vid. in *Fabr.* Staats-Cantzley *tom. V. p. 157. 166.* 4) Si tumultus aut alii caſus pacem turbantes metuuntur *add. Blum. proc. Cam. tit. 79. §. 22.*

CAP. III.

DE ADHÆSIONE MINUS PRINCIPALI PER ALTERIUS LEUTERATIONIS VEL APPELLATIONIS RENUNCIATIONEM NON EXSPIRANTE.

§. XXXIV.

Saxonia noſtra tria contra ſententiam agnoſcit remedia, unum devolutivum & ſuſpenſivum ſimul h. e. adpellatio, alterum ſuſpenſivum non vero devolutivum, hoc

hoc eſt leuteratio, tertium nec ſuſpenſivum nec devolutivum, ſcil. nullitatis querelam.

§. XXXV. Quanquam mens noſtra eo non redit, ut hoc loco omnia hæcce excutiantur remedia, inprimis cum ſatis trita ſint, hoc tamen adjicere lubet, quod adpellatio ſequentia agnoſcat fatalia 1) interponendæ adpellationis 2) Apoſtolorum petendorum 3) redimendorum Apoſtolorum 4) introducendæ 5) juſtificandæ adpellationis, quæ fatalia omnia in Saxonia florent, excepto fatali introductionis, quod ſublatum eſt *in Ord. R. tit. 35. §. 9. in fin.* Sunt etiam caſus, ubi ceſſant fatalia Apoſtolorum, quos *vid. in cit. loc.* §. 7.

§. XXXVI. Leuteratio in Saxonia duplex eſt, ſcil. ſimplex Leuteratio & Oberleuteratio, illa in omnibus judiciis floret, modo obſervetur, quod unicuique parti in prima inſtantia nonniſi una leuteratio ſit permiſſa vid. *O. R. c. l.* §. 3. Habebat olim tria fatalia 1) interponendæ 2) citationis petendæ & 3) proſequendæ. Hodie fatale citationis petendæ ceſſat in *Sax. El per O. R. cit. l.* §. 5. *in fin.*

§. XXXVII. Oberleuteratio in ſuprema Curia provocationum obtinet, & ſequentia requirit, 1) ut res immediate, neutiquam vero per modum adpellationis ibi ſit propoſita. Referunt tamen etiam ad hunc caſum, ſi ab interlocutoriis eſt adpellatum & in hocce judicio ſententiæ ſint reformatæ nec ad remiſſionem Actorum pronunciatum ſit, ejusmodi enim cauſæ pro immediatis habentur *O. R. tit. 35.* §. 4. 2) ut in hoc judicio ſupremo leuteratio jam ſit interpoſita &

ſen-

ſententia noviter lata gravamen inferat, quod Oberleuteratione removendum *O. P. S. V. tit. cit.* §. *1.*

§. XXXVIII. Leuterationi æque ac Adpellationi accedit adhæſio, quæ eſt juris beneficium, vi cujus alter, commodo remedii ſuſpenſivi vel devolutivi ab altero interpoſiti ſimul fruitur, dum ſe hoc uſurum declarat.

§. XXXIX. Ab aliis ita definitur, quod ſit beneficium vi cujus is, qui ſua ex parte nullo remedio, neque ſuſpenſivo neque devolutivo intra decendium uſus fuit, commodo remedii ſuſpenſivi vel devolutivi ab altero adhibiti, ſimul fruitur, dum ſua eidem adjicit gravamina. Sed perperam adduntur verba: *Qui ſua ex parte nullo remedio neque ſuſpenſivo neque devolutivo intra decendium uſus fuit;* cum ipſi fateri teneantur, quod adhæſio etiam intra decendium fiat, atque hæc pro ſeparata leuteratione vel adpellatione habeatur vid. *Keſtner delin. Pr. Ord. c. 38.* §. *2. 3. & 4.* Perperam etiam in definitione adduntur ſequentia: *Dum ſua eidem adjicit gravamina;* quia regulariter communia gravamina requiruntur, igitur exceptio non tanquam regula definitioni eſt inſerenda. Quanquam melior eſt definitio *Textoris in diſſ. Acad. differt. 37.* §. *2.* ubi ſequentia: Eſt beneficium, quo illi, qui non adpellaverunt, & ex parte ſua paſſi ſunt ſententiam adverſam in rem judicatam tranſire, tamen fruuntur commodo alienæ adpellationis eidem ſcil. adhærendo, tamen diſplicent verba: *Ex parte ſua paſſi ſunt, ſententiam adverſam in rem judicatum tranſire;* quia 1) ſub hac definitione non comprehenditur adhæſio intra decendium interpoſita 2) omnino ad-

ſtrui

ſtrui poteſt, quod in gravaminibus communibus, ubi adhæſio locum habet, etiam ratione adpellati aut leuterati in rem judicatam ſententia non tranſeat, niſi expreſſe vel tacite, dum ſcil. in proſecutione non adhæſerit, ſententiam adprobet, conſentire videtur *Gail. l. 1. obſ. 122.*

§. XL. Fundata eſt adhæſio in LL. paſſim, in jure Rom. inter alias notabilis eſt *l. ult. C. de adpellat. In jur. Can. cap. 57. X.* de adpellat. In jure Sax. *Ord. Pr. Sax. Vet. tit. 35. §. 3. in fin.*

§. XLI. Fit adhæſio 1) vel ante rem judicatam 2) vel ante citationem vel 3) poſt citationem & quidem l. ante terminum vel in termino ipſo. Quæ ante rem judicatam intra decendium fit, adhæſionis nomen vix meretur, ſed ſeparata leuteratio vel adpellatio eſt, atque per ſe ſubſiſtit, modo omnia fatalia leuterationis vel adpellationis ſint adhibita vid. *Menk. in tract. Synopt. Pr. tit. 35. §. 10. Gribner Pr. Proc. jud. lib. 1. c. 6. ſect. 2. §. ult. not. c.* Poſſunt etiam gravamina non communia in hac adhæſione deduci, *Stryk. introduct. ad Prax. cap. 23. §. 19. in fin.* ergo ſatius eſt, hoc in caſu vel adpellationem uel leuterationem interponere. Monet equidem Stryk. quod id commodi maneat adhærenti principaliter, ſeu intra decendium, quod non adigi poſſit, ad præſtandam poenam in caſum ſuccumbentiæ, ubi hæc recepta ſit, ſed an hæc cautela ſatis firma ſit, dubitamus, quia ſemper hæc principalis adhæſio, ut alia Leuteratio vel adpellatio æſtimatur ex locis ſupra citatis. Quodſi autem alter adpellationi ſuæ uel leuterationi non renunciat, tunc quosdam effectus habet ratione gravaminum communium, ſcil. quod nec proſecutionem, nec iuſtificatio-

catio-

cationem deſideret, ſed ut minus principalis adhæſio conſideretur, uti recte ſtatuit *Gribner cit. loc. not. b.* Confirmatur enim per alterius citationis impetrationem & conſideratur ut adhæſio, quæ poſt citationem eſt interpoſita *arg. O. P. S. V. tit. 35. §. 3. in fin.*

§. XLII. Hæc, quam pertractavimus, adhæſio vocatur principalis; quia per ſe ſtatim ab initio ſubſiſtit, minus principales reliquæ, quia alterius leuterantis vel Adpellantis beneficio ſuſtinentur. Si ante citationem, decendio tamen elapſo, adhæremus, adhæſio non ſubſiſtit parte altera invita, ſed adpellationis l. leuterationis renunciatione intercidit *Philip. ad O. P. S. tit. 35. conſ. 3.* id quod exinde patet, quia per alterius citationis impetrationem demum adhærenti jus quæſitum adquiritur ſicuti ex locis §. *49. cit.* adparet. Perperam igitur *Keſtner* ſupra *cit. loc.* §. *3.* adhæſionem ante & poſt emiſſam citationem factam conjungit, habent enim plane diverſos effectus, qui ex ſequentibus adparebunt.

§. XLIII. Si citatione emiſſa vel in termino ipſo adhæritur, ancipites apud Dd. oriuntur quæſtiones, an ſcil. adhæſio iſta altera parte renunciante ſubſiſtat nec ne? Deinde an communia, an vero & ſeparata gravamina hæc adhæſio admittat, nec ne? Priorem quæſtionem negat *Gribner l. 1. c. 6. ſect. 2. §. ult. not. c. ſeq. Ceterum ſi adpellans appellationi ſuæ renunciet, adhæſio quoque exſpirat;* nullam tamen hujus aſſerti addit rationem. Melior igitur eſt ſententia affirmantium, quam ſequentibus probo. Primo ipſa *O. P. S. V. tit. 35. §. 3.* in *fine* ſatis aperte rem edocet his verbis: Und wiewohl einen jeden nachgelaſſen, ſich ſeiner eingewandten Leuterung zu begeben, ſo ſoll doch ſolches vor ausgewürckter citation geſchehen. Wenn aber der Leuterant oder ſein Gegentheil allbereit citation ausbracht hätt, den

Leu-

Leuteranten dennoch, ohngeachtet ſolcher renunciation, frey ſtehen, ob er ſich der Leuterung als eines gemeinen beneficii gebrauchen wolle, da er ſich auch gleich deſſen nicht gebraucht. Quando igitur emiſſa citatione ipſius leuterationis uſus ſine adhæſione eſt permiſſus, multo magis permiſſus erit, ſi adhæſerit leuterationi expreſſe, per hanc enim adhæſionem ſtatim declaravit, ſe non conſentire ex ſua parte in leuterationis renunciationem.

§. XLIV. Secundus locus eſt, qui noſtram adſtruit ſententiam in *C. 57. X. de adpell.* ubi ſequentia: *Quodſi agere noluerit, adpellatus poteſt nihilominus proſequi cauſam ipſam, maxime ſi ſentiat ſibi ex dilatione imminere gravamen.* Idem colligunt etiam ex *c. 70. X. eod.* Sed hi textus omnes ſaltim per argumentationem rem explicant.

§. XLV. Omnium clariſſimus eſt textus juris civilis ex *l. ult. C. de adpell.* Vbi ſequentia: *Sancimus itaque ſi adpellator ſemel in judicium venerit & cauſas adpellationis ſuæ propoſuerit, habere licentiam & adverſarium ejus, ſi quod judicatis opponere maluerit, ſi præſto fuerit, hoc facere & judiciale mereri præſidium.* Quoties igitur judex hiſce in remediis terminum jam præfigit, & in adpellatione, appellator res ſuas in judicium deduxit, h. e. adpellationem introduxit *vid. Gail. l. 1. obſerv. 122. n. 4.* adverſa parte invita, mutare conſilium non poteſt.

§. XLVI. Progredimur ad alteram quæſtionem, an adhæſio iſta de qua §*pho 43.* diſputatum, etiam admittat ſeparata gravamina, quæ adverſa pars non tetigit. Nos credimus, praxin a theoria hoc loco recedere. Nam ſecundum theoriam *l. ult. C. cit.* ſatis ſuperque nos edocet, quod ſeparata admitti debeant gravamina. Verba iſtius legis: *ſi quid judicatis opponere maluerit*, adeo generalia ſunt, ut reſtrictionem non admittant. Rem uberius per-

eq uitur *Textor* in ſæpius *cit. diſſert. 37. §. 14. ſeqq.* conſentit etiam quodammodo *Gail. l. 1. obſ. 122. n. 4.* Sed aliud obſervat praxis, ob argumenta ſatis infirma, quæ refutat *Textor c. l.* qui etiam ibidem §. *18.* ſententias antiquorum practicorum collegit, noviores vero congeſſit *Keſtner c. l.* §. *6. & 8.* Sed in adhæſione principali nobiſcum praxis etiam conſentit, modo ſint obſervata ea, quæ § 41. proponuntur.

§. XLVII. Nova ſuboritur quæſtio, an rejecta leuteratione vel adpellatione corruat etiam adhæſio? Quæ facile diſcuti poteſt. Scilicet vel ſi ſtatim rejicitur adpellatio vel leuteratio, quod fit ante emiſſam citationem, adhæſio vero poſt decendium eſt interpoſita, procul dubio cum iſtis remediis & hæcce ruit, nam ſi intra decendium adhæſio propoſita eſt, obtinent ea, quæ §*pho 41.* expoſuimus. Sin autem poſt citationem vel in proſecutionis termino ſit adhæſum, & per ſententiam confirmatoriam latam remedia ſuſpenſiva tolluntur, procul dubio etiam adhæſionis mentio in illa fit, ſcil. ut etiam ratione adhæſionis ſententia ſit vel confirmoria vel reformatoria; nam ſi de adhæſione plane nihil in ſententia ſit monitum, adhærens procul dubio poteſt adpellare.

§. XLVIII. Quæritur, an is adhuc leuterationem interponere poſſit, qui priori leuterationi adhæſit? Dubium movit *O. R. tit. 35. §. 3* ubi in prima inſtantia una ſaltim leuteratio unicuique parti eſt permiſſa, alterius igitur adhæſio pro leuteratione haberi, exinde colligi poſſet, quod adhærens, contra ſententiam, de adhæſione latam, leuterationem interponere non poſſet. De jure Rom. quod adpellationes attinet, credibile eſt, quod adhæſio pro adpellatione haberi non poſſit, *per l. fin. C. cit.* ob verba: *ſin autem abſens fuerit (ſcil. adpellatus) nihilominus judicem per ſuum vigorem ejus partes adimplere*, quod ſi igitur judex partes adpel-

pellati abſentis poteſt ſupplere, ſine adhæſione, multo magis ſi adeſt adhæſio, & tamen adhæſio pro ſeparata adpellatione non habetur, quia etiam ſine ea idem poteſt perficere, & adhæſio ſaltim eſt declaratio expreſſa, quod velit adpellatus, appellationem pro communi beneficio habere, quos etiam effectus habet ſine hac expreſſa voluntatis declaratione *add.* §. *39. h. diſſ.* In Saxonia tamen res adeo expedita non eſt *O. P. S. V. tit. 10.* §. *6.* conſpirare quidem videtur cum jure Rom. *O. R.* vero eodem *tit.* §. *3.* ab iſta diſpoſitione recedere. Hinc conſultus eſt, in hac dubitatione ad adpellationis remedium confugere, quod alias neceſſarium eſt in adhæſione principali, ob dicta in ſæpius *cit.* §*pho 41*.

XLIX. His omnibus rite expenſis ſatis colligitur quod adhæſio ſit beneficium ſubſidiarium, quando ſcil. quis nec adpellare nec leuterare potuit, propter impedimentum quoddam, inprimis, ubi contra adhærentis voluntatem decendium interponendi adpellationem vel leuterationem eſt præterlapſum. Nec de jure Rom. aut Can. adeo erat neceſſaria ob leges § *40 cit.* inprimis *ob l. fin C. de adpell.* ſæpenumero citatam, quia etiam ſine hac adhæſione idem obtineri poterat, & magis adhæſio dependet ab uſu fori & practicorum interpretatione quam a LL. Hinc etiam variis tricis eſt involuta.

§. XLX. Supereſt & alia adhæſionis ſpecies ubi ſcil. plures litis conſortes alterius provocationi adhærent per *l. 10.* §. *fin. ff. de adpellat.* cujus naturam pluribus exponit laudatus *Textor cit. loc.* diverſas vero adhæſionis ſpecies excusſit *Gail. l. 1. obſ. 122.* Quare, quia ad ſcopum noſtrum non pertinet, lubentes prætermittimus, inprimis cum neceſſaria habeat *Menck. in theoria & praxi ff. l. 49. tit. 1.* §. *9. add. Schuberth de adhæſione adpellationis, ab alio interpoſita Lipſ. 1729.*

Digitized by Google

VIRO
PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
SALOMONI RVDOLPHO HAVSCHILDIO
RESPONDENTI DOCTISSIMO

S. P. D.

PRAESES

AD praxin viam TIBI ſternis, Reſpondens doctiſſime, hinc etiam practica tractas. Longe tamen alienus es a practicorum vulgo, non ſolum ea excutis quæ in Saxonia florent, & quæ a plurimis excutiuntur, ſed ad ſumma TE etiam convertis Tribunalia Imperii, & errores haud inſolitos eliminas. Idque duplici, procul dubio, ex ratione profers, ut & ſatisfacias mandato regio de ann. 1733. d. 13. Octobr. & ut de prepares ad altiora. Nihil ſane moleſtius eſt, quam in inferioribus practicorum ſtadiis per vitæ dies currere. Faxit DEVS ut habeas ſtudiorum promotores benigniſſimos, ut TIBI omnia coepta feliciter cedant. Vitembergæ d. X. April. cIↄIↄccxxxiv.

VD 11521203

Digitized by Google